DE CRISIUM CRITICORUMQUE DIERUM METASTASIUMQU E DOCTRINA...

Ludovico Mauri



DE
CRISIUM CRITICORUMQUE DIERUM
METASTASIUMQUE
DOCTRINA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

LAUREAM

In re Medica adepturus

Publice proponit

LUDOVICUS MAURI

VENETUS



PATAVII

TYPIS CARTALLIER

M. DCCC. XXX. V



DOMINICO · CERRONIO

OPTIMO · VIRO · BENEQUEMERITO

HOC

SUORUM · IN · RE · MEDICA · STUDIORUM

PRIMUM · SPECIMEN

IN · OBSEQUII

EXISTIMATIONISQUE · ARGUMENTUM

AUCTOR

D. D. D.

Non cuivis lectori auditorique placebo,
Lector et auditor nec mihi quisque placet.
Owenus

§. I.

Inter mala humano generi a doctrinarum, systematumque perperam praxi applicitorum, intemperantia illata; haud minora profecto sunt illa, quae a nimia facilitate, qua congeruntur praecepta, proveniunt. Quamvis haec facilitas plurimos adtrahat, qui ingenio mediocres, atque studii, meditationisque improbae, onere se se gravari abhorrentes, a prona, brevique semita, quae ad arduum Hygieae ministerium adducit, illici gaudent: tamen certum est, quod, cum haec systemata, maximam difficultatum, quibus scientia abundat, partem occultent, nimisque tutos illos reddant, quos nec ingenium, nec strenuus in studio labor destituunt, vastitatem quoque medicae scientiae illis occultant, atque hoc efficiunt, ut isti, tamquam falsum, atque inutile, quod in magistrorum praeceptis non didicerunt, superbe despiciant.

Hinc fit, ut facillime therapeuticarum rationum abusus, oriatur; atque vel discendi retardatio, vel observationum contemptus, quae, super systematibus ipsis, non innitantur. Idcirco theoria *crisium*, *metastasium*, *dierumque decretoriorum*, utpote quae, penitiores indagationes requirit, parvi, ne dicam nihili, in tradendis istiusmodi principiis, perpendenda erat. Enim vero minimi momenti erat, auctoritatem illi derogare; cum in medium, immodicae Galeni subtilitates, aut ridiculae Arabum astrologicae absurditates, aut de motu melancholici humoris Fracastoriae fabulae, atque de atrae-bilis cum bile, pituitaque commixtione Prosperi Alpini commenta, adducerentur; spretis e contra gravissimis argumentationibus, et longae, tutaeque experientiae documentis, quibus fulcire, imo etiam restaurare Sydenhamus, Sthalius, W. Swietenus, Baillou, immortalique nomine dignus, noster Baglivius, plurimique summi Medici, conabantur. Sed horum systematum sectatores, ut, *crisium*, *metastasium*, *criticorumque dierum* doctrinam, prosternerent, hisce causis ne unquam quidem eguere; illorum solummodo silentium omnem oblivionem induxit. Nec minus ad oblivionem, contemptumque istiusmodi doctrinae, modus medendi, fallacium systematum praeceptis, accomodatus, valuit; nam per ipsum, naturae motus, in crisibus producendis, praepediunt vel turbant; atque ideo, nullis

apparentibus criticis motibus, praedictae doctrinae, utpote fallaci, atque phantasticae, illudunt. Hoc vidit illustris Baglivius, qui de crisibus loquens, sic ait; « Inter reliquos abusus, qui, pau» cia abhinc annis, creverunt, est derisio crisium, » dierum criticorum, motuum morborum par » dies pares aut impares, aliarumque hujus gene» ris observationum, quas prisca medicorum gens, » magno aegrorum commodo, instituerat. Hanc » veterum sedulitatem, duabus potissimum de » causis, deridet gens nova. Primo, ab praecon» ceptam falsam opinionem ex libris, qui tanta » copia, contra veterum sapientiam, hodie pro» dierunt; iis imbuta lectorum mens, fieri vix » potest, quin antica dogmata vel falsa putet, vel » genio, ad saeculi gustum, accommodato, tur» pissima derisione, lacescat, et sub ficta veri » specie, a vero, quam longissime, aberret. Se» cundo, methodus curandarum febrium iisdem » familiaris, cum speculativa sit, fallax, et pro va» rietate tum hypothesium, tum medicorum sem» per varia; necesse quoque erit, ut motus na» turae in producenda crisi, vel impediantur, vel » perturbentur; quibus de causis, critica natu» rae motibus ex voto non succedentibus, scien» tiam illorum tamquam inanem, derident. »

§. II.

Cum mihi sit propositum, hac mea inaugurali Dissertatione, aliquantum de hac doctrina loqui; et quantum meae vires ferant, atque mea rei medicae disciplina (ducibus tamen celeberrimis, quos audivi praeceptoribus, scriptoribusque aliis praeclaris) certitudinem inquirere, utilitatemque demonstrare; necesse est, ut brevi, praecipua doctrinae dogmata, exponam.

Periodus crisis illud temporis spatium est, in quo, statim ac stadium *status*, morbi praesertim febrilis acuti, apparuit, reapse morbi mutatio evenit, per quam aeger ad sanitatem restituitur, vel vita privatur, vel aliis implicatur morbosis affectionibus.

Crisis nomen a graeco fonte χρίσις deductum est; *judicatio* apud latinos vocatur; et hoc sensu Hippocrates adhibuit. *Bona* dicitur crisis, cum morbus in salutem desinit; *mala*, cum mortem, aliamve affectionem morbosam adducit: *perfecta*, si prorsus salutis redit status; *imperfecta* vero, cum post se, vel alium morbum, vel valetudinarium statum relinquit. Attamen ferme crisis nomen, meliorem obtinuit sensum. Hoc itaque nomine venit reordinationis actus, quae, in vitalibus, assimilativae proportionibus, quas morbi progressus turbavit, reassumitur; et consequen-

ter actus necessariae sejunctionis, atque successivae, novarum materiae organicae compositionum, ex organismo eliminationis. Sic crises sequitur rapida favensque mutatio, quae, post aliquam evacuationem, aut excretionem plus minusve abundantem; post copiosam haemorrhagiam, sudores, sedimenta urinosa etc. evenit. Haec omnia, *evacuationum criticarum* nomine, nuncupantur. Hinc quidem sensum crisi tribuimus.

Diversa ratione effici possunt crises: diversi organismi motus praecedunt, easque comitantur: innumerae causae favent, turbant, sistunt, morantur.

Quoad earum naturam, crises, per exhalationes mucosas, sanguineas, purulentas; per exhalationes cutaneas, serosasque; per secretiones, eruptionesque, obvenire possunt.

Partes corporis ex quibus crises oriuntur sunt: nasus, stomachus, intestinalis ductus, uterus, urinariae viae, cutis, membranae serosae, varia organa secernentia, glandulae etc.

Metastasis nomine quod a graeco vocabulo μεθίστημι deducitur, et latine sonat *amoveo, loco moveo, transfero*, tum veteres, tum recentiores, loci, vel formae quam morbus tenet, mutationem; atque proprius, morbosae materiae, in locum ab illo, quem antea occupaverat, diversum, translationem, intelligunt; hinc affectionem metastaticam illam secundariam affectionem vocant,

quae ex discessu vel diminutione prioris affectionis suboritur. Stricto autem sensu, et juxta Huffelandi opinionem, metastasim esse videtur formae primitivae morbosae translocationem; com e contra, morbosae actionis mutatio, ex qua, morbus a priore diversus, exurgit, vocanda esset *Metaschematismus* a graaca voce μεταχηματίζω, quae est eadem ac latina *transfiguratio*. Encephalites, angina, peripneumonia, enteritis etc.; quae post cutaneam erysipelam succedunt; ophthalmia purulenta, quae blenorrhaeam sequitur; haemorrhagiae, quae dicuntur vicariae, urinosi sudores, qui sistentibus urinis, manant; abscessos extra peculiarem propriamque alterius sedem etc.; totidem essent morbi, qui per metastasin oborirentur. E contra vero morbi per metaschematismum oborti, essent hujusmodi; nimirum, hydropisia, quae scarlattinam fere sequitur; cardialgiae in epilepsiam, phthisis in dementiam, hemophthisis in haecticam febrim conversio etc. Sed hisce subtilibus distinctionibus omissis, metastasis nomine, vulgo, quicumque morbus intelligitur tam loco quam forma diversus, vel etiam aequalis, qui in organismo, priore statim morbo recedente, vel cedente, insurgit; quin nisi primitivo morbo, ulla adsignari possit causa.

Hippocrates, omnesque ejus asseclae, criticas perturbationes, crises, mortem, metastases, juxta certum ordinem, certosque dies evenire animad-

verterunt. Hi dies dicti sunt *critici*, vel *judicatores*. Juxta Hippocratem, et Galenum septima dies est quam maxime critica; fere omnes crises, quae in ipsa eveniunt sunt propitiae; faventibus signis, decimaquarta, nona, undecima, vigesima, vel vigesima prima; decima septima quoque, quinta, quarta, tertia, duodevigesima, vigesima septima denique dies, spem medicorum forent. At sextam diem *tyrannam* Galenus appellat; nam crises, hac plerumque die, fatales. Post hunc, octavus, decimus, duodecimus, decimussextus, nndevigesimus adversus est. Hinc, ut cuilibet est compertum, bona omins morbi in disparibus diebus, secus in paribus praebent. Felices crises, juxta illorum sententiam, indiciis bonis nunciantur, quae triduo ante se se offerunt; hinc quarta dies num liceat bonam crisim sperare in septima, ostendit; sicut haec quoque, quae futura sit in decimaquarta; decimaseptima in vigesima die, indicare medicis potest.

§. III.

Sic brevi crisium, dierumque criticorum, metastasiumque exposita doctrina, nunc videamus quam firma sint illorum argumenta, qui theoriam istiusmodi, ceu chimaericam, vel ceu veterum somnia, habuerunt; atque etiam videmus an ipsa, nec ne, factis comprobetur. Sed ut ad

hasce inquisitiones gradum faciamus, primum erit necesse, ut aliquantum, quomodo oriantur morbi, quae sit eorum natura, et quomodo desinant, consideremus. Nunc omnibus, postquam Gallinus, Reilus, Bufalinius, aliique recentes medici de hoc scripsere, jam patet, vitalitatis actionam, seu motum vitalem, organicis particulis, quae simplicem ordinis mutationem, mutuamque positionem peragunt, et sumunt, adscribendum esse (*). Ex hac theoria deducimus, in phaenomenorum vitalium analysi, organicum statum considerandum esse; hanc enim esse vere nostrarum animadversionum metam; vim vitalem, dumtaxat, tamquam effectum respiciendam esse, omnemque ejus actionem nihil esse nisi status organici mutationem. Ex hac eadem theoria alia quoque promanat, nimirum: morborum processus in mixtione organica peragi, non autem a solo vitali motu perfici; hinc morbos materiales, non dynamicos esse; vel ut cum Bufalinio dicam, ad vis compositae et secundariae, non quidem ad simplicis et primitivae vis mutationes, pertinere, qualem vim vitalem esse, vitalistae semper asseruerunt.

(*) Gallini. Fisiolog e Sagg. di osservazoni concernenti i nuova progressi della fisica del corpo umano.

§. IV

Solidistae, dynamistae, mechanici, autumant, morbos a motuum vitalium turbatione originem semper habere; immo credunt, nullum, inter apparentem istorum partem, interque intimas, compositionis organicae mutationes, esse discrimen. Sed haec est mera hypothesis. Quomodo enim hoc esset probandum? Anne sic vita penitus dignoscitur, ut apprime quoque effectuum manifestorum cum intimis, occultisque mutationibus, connexionem noscamus? Perbene pathologus Cesenas de hoc disputans, ajebat: «Io credo che » un iotento siffatto non sia diverso da quello di » colui, che volesse tutta la scienza chimica ri» durre nelle regole di una semplice meccanica. » Comprendo bene che tutti i fenomeni della » natura consistono in movimenti, e capisco che » anche le aggregazioni e disgregazioni delle mo» lecole non sono che movimenti; ma altra cosa » è considerare un moto semplice, come i mec» canici lo riguardano nelle masse dei corpi; al» tra un moto composto di mille impercettibili » movimenti di particelle, qnale forma il subbiet» to della chimica. E dirò inoltre che a meccani» ci incombe solo di valutare l'atto del moto; a » chimici per contrario si appartiene principal» mente di considerare gli effetti nei quali termi-

» na il moto stesso, vale a dire, le composizioni,
» e i disfacimenti de' corpi, quindi le nuove qua-
» lità dei medesimi.

Ex accuratioribus observationibus, atque ex plurimorum physiologicorum studiis, concludimus: solidorum organicorum motum, liquidorum cursum, inhalationisque quantitatem moderari; sed elementorum externorum introductionem non disponere. Attamen istorum causa, priusquam motus vitalis aliquod patiatur detrimentum, in organismo perturbationes accidere possunt. En igitur fieri potest, ut assimilationis turbetur processus, quin motuum vitalium perturbatio, praecedat; atque hinc haud necessarium, ut morbi dynamici praecipue hoc agant. Itaque quoties status assimilationis perturbationem, factis comprobatam, deprehendemus, et quoties noscere fas erit, quod in humanum corpus externa elementa sese introduxerint; totiea tuto dicemus, materialem perturbationem prorsus esse essentialem, ac primariam. Viceversa autem, cum tantum potentiae motum solidorum organicorum turbantes, egerint (haec vero sunt solummodo mechanicae actionas, animique impatus) concludemus: perturbationem quaecumque in assimilativo statu obvenerit, esse vere secundariam.

§. V.

Hoc autem asserendum quoad modum, quo morbus generatur, non quoad morbum ipsum; nam motuum vitalium perturbatio, est ita transitoria, ut in ea numquam morbosus status constitui possit. Quod si diu morbi potentia motus vitales perturbat, tunc morbus in illa, non in istorum perturbatione consistit. Terror improvisus syncopem, vel nervorum convulsionem inducere potest; sed si organi ad vitam necessarii compagem non perturbavit, atque humorum cursum inflexerit, aut illorum crasim commoverit: tunc syncopes, vel convulsio nervorum citius cessabunt, postquam animus ad se redierit, nec morbi vestigium corpori haerebit. Quod si motuum vitalium perturbationem, quilibet morbosus status duraturus sequatur; credi tunc potest vel vitiata partium organica structura, vel interruptus liquidis regularis cursus, vel assimilatio turbata. In quocumque ex his casibus perturbati solidorum motus in morbi generationem agunt, sed ex seipsis certe morbosum statum nequaquam efficiunt. Adeo sunt veloces, et semper a potentiis, quae eos generant, dependentes. Attamen affectiones, quae dynamicae vocantur, videlicet, simplices fibrarum motus, possunt esse occasionales causae morbi, numquam vero proximam, vel con-

tinentem, ut vocant Scholae, causam, efficere. Sed vitalitas, vel mixtionis organicae status, multis modis potest vitiari, vel ob nimiam vim, vel ob diuturnam illorum durationem, vel ob sequentem assimilationis perturbatum ordinem. Hoc autem vitium magis motus vitales turbat; hi rursus turbant organicam mixtionem, atque haec rursus turbat illos. Sic per seriem actionum, quae, mutuo, veluti causae et effectus agunt, a primis incomprehensibilibus perturbationibus, sensim ad ita gravem manifestamque perturbationem progrediuntur, ut corpus sanitas destituat. En modus, quo morbi, turbato motu vitali, gignuntur; ecce, verum est, circulum actionum adesse, quem Gallinus, omnesque deinde physiologi in organismo agnovere. Incipiunt autem morbi et a materiali perturbatione, et a perturbatione motus vitalis; quod si manant, semper semperque in mixti organici perturbatione positi sunt. Tunc motuum vitalium perturbatio, utpote quae a morbi vera conditione servatur, simplicis symptomatis aspectum sumit, quod rursus tamquam occasionalis causa considerari potest, si vi minaci gliscat. Hinc libet morbi definitionem, quam Reilus, et deinde accuratius Bufalinius tradit, admittere; nimirum, morbum esse peculiarem status materialis organismi, mutationem, quam vel substantiae alienae in corpore ipso existentes, vel ordinis et compositionis organicae mixturae, per-

turbatio, gignit: vel aliis verbis, morbum esse status materialis mutationem, cui actiones chymico-organicae, vel mechanico-organicae originem praebent. Duobus igitur modis in arcana corporis structura gigni et progredi possunt morbi, vel, quod in elementorum ordine, ratione, natura organica turbetur; vel, quod insolitum quodcumque elementum alienum, alicui corporis parti adhaerens, motus vitales, non autem organica compositionem perturbet.

§ VI.

In hoc morborum secundo modo, asserendum est, absque ulla dubitatione, materiam noxiam existere, supradictae potentiae inhaerentem, quae stimulat, lacerat, irritat etc. Inde venit, in istiusmodi morbis, ab organismo auferendam esse insolitam materialem morbi causam. Dum hic manet, agit, nec morbus abit. In primo modo morbosa pariter substantia in particulis mixtionis organicae, a nociva potentia turbatis, consistens, existit; sed hoc in casu sunt triplices exitus; vel prorsus status organicus perit; hinc mors, vel partialis, vel tota: vel rursus organicarum partium perturbatio desinit, et istae priorem statum resumunt; vel denique cujuscumque materiae alienae, quae vel subrepserit, vel se se produxerit, discessio. Primus exitus a continuata morbosae potentiae

actione manat, quae cum particularum organicarum actione, conjungitur; quae particulae jam turbatae, ceu corpora extranea irritantia agunt, organicamque perturbationem magis atque magis adaugent. Secundus, ex remediorum vi, vel a causae morbosae cessatione, producitur. Tertius tandem, ab assimilatione completur; hic antem semper est necessarius; namque in plerisque morbis semper demotae aliquae organicae particulae inveniuntur, quae ad resumendum pristinum locum impotes sunt, et quas est necesse ab organismo removere, aliasque melius elaboratas atque ordinatas substitui. Tunc eveniet, quod probabiliter in omni vitae momento accidit; nempe quod partes impotes vitae a lymphaticis vasibus absorbeantur, et per emunctoria rejiciantur, dum aliae facultate vivendi praeditae, subeant.

§. VII.

Sed aliqui tamen possunt objicere, quod, in aliquibus morbis, materiam morbosam, morbi statum constituere; in aliquibus non constituere, nisi merum effectum. Ex dictis, quoad verum modum, quo se se efformant morbi, facile quivis potest agnoscere, quo fundamento, haec objectio nitatur. Sed vel morbosa materia morborum statum constituet, vel merus sit effectus; semper tamen ad perfectam sanitatem est necessum, ut ab

organismo eliminetur, et eliminationi tum unius tum alterius morbosae materiae vere convenit *criticae* nomen; cum, etiam juxta illorum opinionem, eveniente morbosae materiae ejectione, merito credendum est (nisi maxima vitia genuerit) brevi liberationem a morbo eventuram; nam, amotis noxiis potentiis, valetudo obtinetur: evenientibus autem evacuationibus, vel fluidorum perturbatorum metastasibus, indicium foret, organa secretoria et excretoria motus naturales resumere, atque morbum inde in bonum progredi. Nec minus, hoc, evacuationum, metastasiumque criticarum, genus, ad bonum morbi exitum est necessarium; namque hi humores ita vitiati, diu in corpore morantes, fiunt noxiae potentiae, quibus morbus continuet, vel in alium degeneret. Haec animadversio perspicaciae Wan-Swietenii occurrit, qui sic ait §. 549: « omne illud, quod in fluidis solidisve cor- » poris partibus, a sanitatis legibus degeneraverit, » sive ante febrim natam praeextiterit, et ejus » causa fuerit; sive per febrim ipsam factum fue- » rit, sub nomine causae materialis febris solet » comprehendi. Quamvis enim repugnet ut effe- » ctus prior, sit sua causa, neque illa mutatio quae » per febrim facta fuit, potuerit esse ejus causa; » tamen degeneratio humorum facta per febrim, » poterit sustinere febrim jam existentem, et ab » alia causa natam. Requiritur ergo si febris in » sanitatem exitura sit, ut omne illud, quod a

» sanitatis conditionibus recessit expellatur de
» corpore. »

§. VIII.

Sed ad argumentum rediens, ex dicto verisimile esse assero, judicium de morbis fere ex alicujus alienae materiae ejectione ferendum esse; atque ideo crises, quae in veterum Scholis tantum existimationis obtinuerant, non esse phantasticae philosophiae commenta. Nec est opinio *coctionis* morbosae materiae rejicienda, quoniam evenire aliquando potest, quod partes turbatae, priusquam absorbeantur, peculiaris operationis egeant, de quo nos certos facit processus suppuratorius. Perbene ajebat in suis prolegomenis A. Brera, cum de coctionis stadio ita disserebat: « A » misura che il misto organico delle parti rimaste » lese nella malattia si libera dagli operati nuovi » insoliti componimenti, rallentasi pure il più delle volte, in proporzione, il perturbamento irritativo del solido vivo, e questo cede affatto all'epoca dell'incominciato e progressivo riordinamento della materia costituente l'organica » assimilazione fluida e solida. Dietro siffatte considerazioni pare potersi con ragionevolezza conchiudere, che si operi nell'organismo malato » una serie successiva di processi fisico-chimici, » per cui le permutazioni avvenute nel misto or-

» ganico, e i nuovi componimenti morbosi, che vi
» susseguitano nel corso dei tre primi stadii della
» malattia, acquistano gradatamente un'attitudine
» ad obbedire all'aziona degli organi secernenti,
» ed escernenti. Rimane adunque a questi insoliti
» morbosi prodotti impressa a tal'epoca della ma-
» lattia una tal quale tendenza ad uscire dall'or-
» ganismo per le vie degli emuntorii ordinarii e
» straordinarii, ma costantemente sotto l'aspetto
» di preternaturali evacuazioni ».

Cum igitur, duce physiologo Gallino, atque pathologo Caesenate, pateat, in omnibus morbis materiam reapse morbosam ad eos resolvendos eliminaturam, existere; nil amplius de crisium veritate dubitandum. Quotiescumque igitur ex certioribus factis, quae morbus ostendi, argumentari vellimus, certiores nos quoque de veritate doctrinae, quam Hippocrates de crisibus protulit, facit: quae doctrina tamdiu in Scholis obtinuit, et quam, ceu chimaericam, imaginationisque fabulam nostri novatores omnino perdere conabantur. Experientia quoque duce, istam probemus.

§. IX.

Haec ipsa magistra quotidie nos docet, morbos, aliena materia discedante, evanescere. Omitto sudores, diarrhaeas, sputa, haemorragias, aliasque insolitas excretiones, quibus saepenumero

morbi judicantur, et in quibus verae morbosae materiae discessio vix dignoscitur; istasque excretiones, phaenomena esse morbi remissionem concomitantia, vel remissionis ipsius, effectum, quin istae excretiones agant, autumatur; sed eneorema et hypostasis, quae declinantibus vel discedentibus morbis, semper in urinis apparet, quod accuratius prisci medicinae patres observarunt; videntur nos certiores facere, quod noxia materia distrahatur, ad renes se conferat, et cum urinis simul exeat. Urina, quae quoddam limum demittit certa materias insolitas continet, nec adest credendi ratio, renes fere in omnibus morbis decedentibus, ita uniformiter, insolitoque modo agant, ut urinam semper taliter saturent. Rationi magis consonum videtur, credere, quod hae varietates in urinas crasi a materia, quae cum ipsius urinae elamantis ad renes transfertur, producantur; cum facilius possit intelligi, hoc, recedente morbo, evenire; hoc casu magis reparetio organica viget, et magis absorbendi vim vasa lymphatica adipiscuntur. Hoc modo haec critica secretio est aeque affectus ac causa, quae morbum vincit; quoniam hoc non eveniret, nisi intensitas motuum parturbatorum ante non relaxaretur, nec status morbosus prorsus evanesceret, nisi haec materia absorbaratur, expellereturque.

§ X.

Nequeo autem cum illis convenire, qui criticas evacuationes solummodo effectus esse vellent, qui morbum vincunt. Sectatores Broussaisii, et Contrastimulistae crisim nihil esse aliud, quam processus morbosi discedentis, indicium. Haec opinio, ut mihi videtur, non sane ad facta quadrat, nec ullam utilitatem practicae affert. Enimvero, ut perbene in suo Opere de antagonismo vitali Pezzolius observat, si crisis nil aliud indicat nisi secretionum externarum restitutio, quae internarum functionum aequilibrium sequitur, cur, quaeso, processui morboso semper ratio crisis, alioque processui alia ratio adhaeret? An ne, quia varii processus varias afficiunt functiones? Sed jam patet, in qualicumque manifesta pathologia plus minosve quaelibet turbatur functio; ergo in qualicumque manifesta pathologia plus minusve quaelibet cognita crisis ratio apparere deberet. At hoc praxis nunquam deprehendit; immo e contrario quadam methodi, vel legis, specie, ex differentibus crisibus differentes morbi judicantur, quae (quod magis interest) praedici possunt. Ergo crises videntur esse non tantummodo discedentis morbosi processus signum, eventusque mere passivum, sed activam partem in morbi discessionem habere.

Ita quoque ex iisdem argumentis nequaquam rationi consona videtur opinio Rochei, qui in suis

pathologiae elementis, crises in subita secretionum, quae prius stiterant, renovatione, consistere, asserit. Sic enim ait: « Mais les crises consistent » plus fréquemment dans le rétablissement im» pétueux des sécrétions qui avaient été suspendues » par la maladie, que dans un phénomène de » révulsion. Ainsi les sueurs, et les urines abondan» tes, qui surviennent quelquefois à la fin des » maladies aigües bien loin d'être les causes de » la guérison subite de celle-ci en sont les effets. » La peau été sèche, les urines rares, parce qu'un » organe important s'opposait par sa souffrance » à la libre excrétion des urines..... des liquides » sont tout-à-coup excrétés en grande abondance, » parce que l'organe rentre subitement dans son » état normal; et leur quantité dans un temps » donné est proportionelle à la plus ou moins gran» de rapidité avec la quelle l'organe malade passe » à l'état de santé ». Superius vidimus, quo fundamine nitatur illorum opinio, qui crises tamquam discessionis morbosae effectus, asserunt; sed etiamsi Rochei opinioni adhaeremus, quaerendum esset, num elementa, quae materias excretionum secretionumque propter morbum sistentium suppeditare debebant (cum ipsa in organismo remaneant) ab agendo se se abstinerent, ne, tamquam alienum corpus, irritent, et funesta damna parent? Nonne ipsa vere materiam morbosam efficient, quae licet secundaria, tamen expel-

letur opus esset, ne morbum magis aggravet? Anne illorum ejectio revera non diceretur crisis?

§. XI.

Sed ad nostram rem redeuntes, cum scripta rerum medicarum legimus, legimus ubique insolitam, copiosamque evacuationem, humores ad cutem explosos, externasque expurgationes morbis pervicacibus, acutis, violentibusque illico omnino finem afferre. Haec phaenomena difficilius dignosci possunt, quin per hasce vias materiam vere morbificam esse egressam credamus. Quoad chronicos morbos W. Swietenus adducit exemplum hominis cujusdam, quem tussis febri et marasmo simul adjuncta, ab ulceris in dextero manus pollice sistentis, expurgatione, sanum reliquit; haec autem expurgatio materia acri liquidaque constabat, quae siccata, calcis aspectum offerebat, quoque magis materia effluebat, eo majores vires aegrotus adipiscebatur, qui ad secundi mensis finem omnino convaluit. Alibertus aegrotantem podagra adducit, a quo talis morbus evanuit, sed eum sequutus est valde pruriginosus herpes: cum medicus huic curam applicuit, quo gradu cutanes eruptio minuebatur, ad viscera dolores gliscebant. Jam animadvertebat Hippocrates per mammarum, testiumve tumores epilepsiam desinere; per dissenteriam, hi-

dropemve maniam cessare. De sexenni puero Haenus narrat, qui saepius pertinacibus epilepsiae aggressibus cruciatus, quos viscidi, faetentesque sudores copiose interfluebant, et sanguineae rarefactionis denique dabant signa; usu opii ad soporem usque, liberatus fuit: post autem non multum temporis, ad inguina abscessus accessit, quem dissenteria secuta est quae tandem puerum consumpsit. Tissotius singularem epilepsiae prorsus absumptae, casum narrat, ex valerianae usu, erumpante tamen scabie. Sed neglecto deinceps pharmaco, epilepsia rursus apparuit, dum siccabatur scabies, et morbus ibatque, redibatque aterque vicissim, usque dum, aperto cauterio, omnino, vel magna ex parte epileptici, aggressus evanuere. Zimmermannus acerrimum articulorum dolorem describit, qui statim ex sexquilibralis virescentis, acidaeque materiae, vomitu, disperditur: et Dumasus casum gravissimi hysterismi singularem adducit, cui, quamvis per sex menses rite mederetur, magis magisque efferbuerat: tandem quinque vel sex vehementiores paroxismi subvenere; omnes recretiones, sputa, muci, sudores, urinae, entericaeque materiae accrevere, et morbus evasit. Hujusmodi sunt innumera exempla, quae adduci possent, et quae brevitatis causa omitto. Quae adduximus, ad nos certos faciendos sufficiunt, inveteratos, graves, pertinacesque morbos illico, atque inopinata ce-

leritate desivisse, statim ac criticae evacnationes apparuerint, vel humoralia confecta fuerint deposita; sicut e contra redierunt, in aliosque morbos se se convertere, interrupta, vel imminuta crisium operatione; nec isti cesserunt prius, quam ipsa crisis, vel alia vicaria, exciteretur.
« Ecco, Pathologus Caesenas ait, in questo sussistere o maocare del morbo secondo che ad» diviene o no lo spurgo, o il deposito di qual» che umore, apparire manifestamente connessa » la esistenza di quello col trattenersi entro al » corpo una materia ostile. Pare certo qui evi» dente, che un incongruo principio vagante per » l'organismo e fissò in qualche sua parte, abile » però ad essere rimosso, desse impulso a moti » morbosi, fino a che trovata una via d'uscire, » lasciasse tosto illesa la macchina da ogni inde» bita impulsione, e perciò ritornata in un subi» to nella calma e nell'ordine dei moti della sa» lute. Qui è vano torturarsi la mente con inten» to di spiegare per altra maniera il fenomeno.
» Le lesioni di struttura quali oggi giorno ama» no di chiamare strumentali, o la flogosi, non » possono certamente ricomporsi in un subito: » nè i moti organici possono a lungo convellersi » disordinatamente se nella macchina non esiste » qualche mutazione di sostanza, onde o pati» scano qualche detrimento le vitali proprietà » dei solidi, o ricevano insolite impulsioni per

» insolite maniere di stimolo. Così noi dovendo
» esser certi che un vizio di sostanza manteneva
» le ricordate malattie, ma non poteva essere nè
» una lesione di struttura, nè una flogosi; avre-
» mo per le crisi un argomento assai convincen-
» te degli occulti processi di materiali alterazio-
» ni procreatrici di svariate forme di morbi. »

§. XII.

Quoad morbos acutos, quisnam est ille practicus medicus, qui statim ac crises incipiunt, prosterni morbos non videat? Quisnam est ille medicus, qui veracem Boerhavii sententiam non agnoscat: « in morbis acutis qui in humoribus » consistunt, disponitur ut plurimum, certo » tempore, materies morbi ita, ut fiat subita mu- » tatio morbi in sanitatem? » Imperfecta autem vel difficilis morborum resolutio efficitur, si desint crises, vel sint incompletae; de quo Hippocrates hoc monitum nobis reliquit. « Acutorum » morborum non omnino tutae sunt praeditio- » nes sive mortis, sive sanitatis ..... Quae in » morbis post crisim relinquuntur, recidivam fa- » cere solent. » Et Baglivius ajebat: « Dissente- » ria variis magnis morbis liberat; » et alibi « Po- » dagra mutatur in dissenteriam, et alias internas » eliquationes, per quas sanatur. » Huxamus in peripneumoniis malignis delirium, singultus, con-

vulsiones succedere observabat, si durantibus ipsis, urinae, quae croceae turbidaeque erant, illico limpidae, et aquosae fiebant. Eruptiones et cutaneae ulcerationes in morbis malignis acutis, sunt quaedam species crisis, quae saepius a practicis medicis observatur, bonumque auspicium ipsis praebet. Ramazzinius criticas animadvertebat pustulas in Epidemia, quae anno 1692 invaluit: Sydenhamus criticum notavit ptialismum in continuis febribus anni 1667, et 1668. Baglivius ipse alias hujusce naturae crises commemorat. Baillous quartanam in reumatismum, scabiem sordidaque ulcera declinatam, asseruit. Borsierius gangraenas spontaneas fuisse in pustulariis febribus crises, advertit. Dicemus ergo cum Bufalinio, hanc celerem morbi mutationem, subitamque violentiae morbosae remissionem statim ac crises evenere: hanc tranquillitatem notari dignam, quae statim evenit, ac humor aliquis exploditur; hanc denique imperfectam, difficilemque morbi, incompletis crisibus, resolutionem; haec omnia, dicemus, nobis saltem indicare, sanationem, et crises inter se connexa esse phaenomena; et statim ac, ut Polidorius ait, melior valetudo sequitur crisim, non crisis valetudinem meliorem; sanationem et crises non solum duo phaenomena inter se connexa esse, sed istas semper illam praecedere, atque hinc crises esse valetudinis causas. Enim vero omnium morbi symptomorum exas-

peratio, imminente crisi, valde hoc confirmat, nimirum tunc revera effervere hostilem materiam, quae irritat, et magis debiles fibras vellicat, atque usque dum non exeat, in tumultu et perturbatione corpus exagitat. Perbene igitur Rostanus ajebat: « On observe ces phénomènes » critiques precedant toujours les changements » favorables ou fâcheux qui se manifestent, et » quoique en bonne philosophie on ne doive pas » regarder un phénomène qui suit un autre phé- » nomène comme l'effet de celui-ci, cependant » lorsque cette succession se montre constam- » ment on ne peut s'empêcher de reconnâitre » que le primier est très-probablement la cause » du second. Lorsque ces phénomènes sont ar- » rêtés intempestivement, le soulagement n'e » plus bien; la maladie s'exaspère. Les évacua- » tions-critiques diffèrent des évacuations phy- » siologiques. Les matières excrétés offrent des » caracterés particuliers qu'on ne retrouve dans » aucune autre circostance; mais indépendam- » ment de ce que les urines, les sueurs, les ma- » tières fécales etc. presentent des changements » remarquables, il survient vers la fin des mala- » dies des hémorrhagies, des abscès, des éruptions » qui coincident avec leur terminaison, et qui » ne peuvent être considérés comme l'effet sim- » ple de la résolution de ces maladies. »

§. XIII.

Quod febres, quas *depuratoriae, salutares, medicatrices* dicuntur, existant, nemo qui in re medica satis sit versatus, inficiari potest. Saepe efficit febris, ut pertinaces morbi minnantur, vel evanescant; ut essent ex. gr. aliqua viscerum vitia, quicumque morbus qui nervos affectat, hypocondria, convulsiones, paralysis. Saepe febris mutat moderatque temperamenta, promovet angetque in juvenibus staturam; aegrotantem in sanum redigit; ipsi quoque insano sanam restituit mentem. In hisce febribus nil, nisi rationem crisis invenio; etenim ipsae plerumque per copiosam solventur materialem evacuationem, ex quo *depuratoriae*, merito, vocantur. Igitur videtur materiam hostilem, quae in aliquo organo, vel systemate, regulares functiones praepedit, absorberi, in circulationem ferri, et, tamquam extraneum elementum tunicas vasorum per quae excurrit, irritare, et eam exagitationem permovere, quae febris nomen obtinet, ex qua haec hostilis materia per crisis salutaris modum, foris expellatur. Enimvero constat, omnes crises ab exacerbationa morbosa, a febribus, a calore, a siti, ab inquietudine praeveniri; saepe dolores capitis, colli, circumque praecordia eas indicant; saepe quoque a borborigmis, urinae suppressione, ad cutem

prurigine etc. praenunciantur. Hae febres igitur rationem intimam cum crisibus habent, immo nullum inter utrasque, discriminen, deprehendo: namque in ambabus coctio, quasi dicam, praecedit, atque quaedam, insidiosae materiae ad exitum, praeparatio, qui in ambabus ab extraordinariis organiami motibus, praeceditur; in ambabus evacuatio critica conspicitur, atque in ambabus tandem, huic levamen morbi, vel corporis ad salutem redactio, succedit.

§. XIV.

Quoad autem metastases, illa quae diximus, ostendunt, nihil ipsas a cognitis crisium rationibus differre; hoc tamen discrimine, quod materia morbosa, quin feliciter per natnralia discedat emunctoria, in aliquo alio organo sistit, ibique novum morbum, a morbosa actione, quam agit, excitatum, progenerat. Hic est verus, quo considerandae sunt metastases, sensus, et quomodo factis confirmentur, statim videbimus. Nec improbandus ero, si hoc modo, actionis tantum metastases excludo cum ad alia eas refero phaenomena. Itaque mihi videtur translationi, vel loci mutationi, quam simplex inflammatio sumit, hoc nomen dari non posse; quod melius *diffusioni, revulsionive* dandum esse putarem: nec metastases mihi videntur vocandi illi secundarii morbosi

processus, qui per consensum priori adjunguntur, sequunturque, cum hydraulicum at chemicum tollitur aequilibrium, vel cum organica adsimilatio turbatur. Hinc non sunt revera metastases, splenicaa affectiones, quae ab affectionibus generantur jecoris; diarrhaea oborta, quia transpiratio cutanea sistit; obstructio alicujus lymphaticae glandulae, quae aliarum obstructionem generat; impetigines, cutisque pustulae, quae gastricas affectiones sequuntur; dolor in humero ob hepatiten, sardonicus risus ob diaphragmiten; apoplexia ob urinariae vescicae affectiones, dummodo tamen vera urinosa metastasis in cerebri ventriculis non occurrat etc. Hae effectiones omnes sunt illae quae sympathicae vocantur, et quas pathologi, vel per organorum antithesin, vel per connexionis, identitatisque structurae, leges, vel per peculiarem nervosarum actionum relationem explicare conantur. Posito ita discrimine, inter crises, interque metastates proprio nomine dictas, atque inter consequentes sympaticas, revulsivas etc. affectiones; nescio quantum Rochei assertio ad veritatem, accedat, qui ait: « Cést tres-souvent » encore un phénomène de révulsion que l'on a » nommé crisa. Nous n'en voulons d'autre preu» ve que l'embarras dans le quel sont souvent » les médecins partisans de la doctrine des crises, » pour distinguer les metastases des crises qu'ils » appellent fausses, embarras tel que les un voient

» une metastase dans le même phénomène ou les » autres reconnâissent une crise ». Quis unquam adhuc revulsionem cum crisibus, atque istas cum metastasibus permiscuit? Quaenam sunt, quaeso, tam maximae difficultates? Equidem minime istas discerno.

§. XV.

Translatio morbosae matariae, nimirum materiales metastases a factis manifeste probantur. Abscessua qui exhauriatur, at interea in pectoris, vel abdominis cavitatem pus diffundatur: urina, quae a vescica abscedat, et in cerebri ventriculis inveniatur; vomitus urinosus quem solummodo fistula in vescica sistens, sanavit; vetus ulcus cruris obductum quod apoplexiam, asthmam, hydrothoracem, vel quemvis alium morbum gravissimum giguat, quin ullum sit remedium, nisi in crure pristinus ulcerosus processus redire cogatur; atque innumera alia exempla absque dubio materiam morbosam ex una parte ad aliam transeuntem indicare videntur. Et si humoris alicujus permeatio in internas corporis vias morbos generat, qui non recedunt, nisi humor ipse expellatur; nonne evidens est argumentum, plerosque morbos a quadam hostili materia quae ad motum, atque ad exitum apta sit, originem ducere?

§. XVI.

Nec illorum valet objectio, qui comprobare nituntur, quod si a translatione humoris dependerent metastases, qualitates ipsius manifestae in secundariis affectionibus, quas ipse producit, inveniendae essent. Jam Monteggia noster, quoad metastases, animadvertendum esse, dicebat; quod sicut translatus humor suopte stimulo vel irritatione novum inflammatorium morbum localem determinat; ita postulandum non est, ut in hujusce ultimi productis manifestae prioris humoris qualitates, qui hunc generavit, deprehendantur, nisi tamen fuerit valde copiosus, similisque, videlicet, purulentus. Gangraena in capite vel in crure saniem, ichoremque nigrum manans, hydrothoracem tantummodo inflammatorium, vel abscessus in haepate vel in pulmone, album pus, continentes, producere solet; ita quoque in metastasibus, vel depositionibus ex. gr. lacteis, lacteus humor cerni perspicue non potest. Lac subsidens inflammationem excitavit, et suppuratio, quae consequitur, producta est.

§. XVII.

Sed quinam sunt modi, quaenam viae, quibus, ut haec phaenomena operetur, utitur natura? Quaenam inter partem aegrotantem, et illam, ad

quam se confert morbus actiones intercedunt? Cur non intermediae partes laeduntur? Quondam absorptio venis tribuebatur, depositum arteriis, atque ultimis vasibus exhalantibus, quae ab iisdem procedunt. Cum autem lymphaticis vasibus attributa fuerit absorptio, aequum erat, ut per illa, translationes hujusmodi, vel, ut melius dicam, prima metastasium pars, vel absorptio, progredienaque ad sanguinem transitus, fieri intelligerentur, remanente, arteriis, depositionem efficiendi munere et officio. Sed cur nam absorpta fluida in sanguinem immissa, cumque ipso immixta, aliquando sub priori specie, qualitateque secernuntur, ut alicujus abscessus pus, quod ad sanguinem ducitur, atque hinc, ex. gr. a renibus in puris formam rursus erumpit? Difficultas hujus intelligendi phaenomeni coegit, ut aliae breviores, rectioresque viae excogitarentur, quibus illi transferrantur humores, quin se se toti sanguinis quantitati conjungerent; atque hinc exiliit motuum retrogradorum, qui absorbenti systemati dantur, theoria, a Darwinio excogitata; hinc theoria galvanismi in medium a Prochaska adducta; hinc plures aliae theoriae, quas brevitatis causa praetermitto. Sed haud pudeat tam in hoc, quam in plurimis eventibus, ignorantiam nostram fateri; haud pudeat nostras investigandi rationes imperfectas, ineptasque accusare. Cogamur historicorum more, ut facta, tantummodo narrantes, com-

probemus, et quamcumque hypotheticam interpretationem deseramus. Articulorum dolor ab nnis articulis ad alios permeat; erysipelas nnam corporis partem relinquit, ut sistat in alia; rheumatismus vagatur; vere vicariae existunt haemorrhagiae, et facta transeuntem ex una ad aliam corporis partem materiam satis comprobant morbosam. Quomodo haec phenomena exsurgunt? Hic sistamus, et aequo animo ignorare fateamur. Caveamus tamen, ne dum ignorare fatemur, factorum veritatem inficiamur; nam inficiantes difficultates nòn solvimus, non nodum enodamus, sed magis magisque perstringimus. Concludamus igitur cum Rostanio: « Gardons nous pourtant » d'affirmer que c'est par la circulation que ces » changements s'effectuent, ou que l'innervation » peut seule les produire, ou qu'ils sont l'effet » de l'absorption tout cela peut-être vrai; toutes » ces voies peuvent produire les faits, que nous » signalons, toutes peuvent fournir des explica» tions ingénieuses; mais il y a loin de la à une » véritable demonstration ».

§. XVIII.

Hippocrates *criticum* illum diem nuncupavit, in quo crises complentur. Ab antiquis saeculis ad nos usque, observatum fuit, cursu cujuslibet febris perdurante, peculiares aliquos dies esse, in

quibus praecipue crises copiosae praeparantur; hi dies autem sunt septimus, nonus, undecimus, disparesque deinceps; hinc hujsmodi dies, *dierum vere decretoriorum* nomine vocati sunt. Ast existunt ne reapse dies critici istiusmodi, an istos medicorum veterum recentiumque mentes potius finxere? Doctissimi illustresque viri Cullenus, Gaubius, Clolurus, Haenus, Baglivius, plurimique alii, nulla omnino dubitatione, criticos dies admittunt. Nullo modo est ambigendum, ait Reilus in tractatu de febribus; sufficit observationes instituere, et arithmeticae scire elementa, quibus numeremus, ut hanc veritatem noscamus. Experientia, quam hausi, ait ipse, affatim ostendit: febrim remittentem communem, tertiano typho, semper ita procedere, ut disparibus diebus, diei, quo primum ingruit, respondentibus, magis afferveat; ejus vehementiores minas in disparibus diebus scilicet intentare, atque majores, die dispari, metus, videlicet die tertio, quinto, septimo, nono, tertiodecimo, debacchantem, infundere. Quotidiana experientia evidenter certos quoscumque nostrae aetatis clinicos facit, dies criticos in singulis acutis morbis observari. Omnes, ex. gr. practici in ordinariis casibus, die septimo, synocham: typhum acutum die quarto, undecimo, vel decimoquarto; lentum in undecimo, decimoquarto, vigesimo primo, et vigesimo octavo: phrenitidem in septimo, vel decimoquarto, et sic dein-

ceps, ad bonum, vel infaustum eventum vergere, cognoscunt.

§. XIX.

Cum admirabilem ordinem, quo fiunt, considero; cum temporis momenta certa et constantia animadverto, in quibus, non solum sani hominis singulae functiones complentur, sed omnes aliae naturae tam ordinariae, quam a regulari statu declinantes, eveniunt operationes; nequeo, analogia fretus, non confiteri, quemcumque processum morbosum, qui in nobis eveniat, aeque in suo progressu, quemdam ordinem generaliter servare debere, atque ideo tempus, ad maturationem, certum, habere. Dixi *generaliter;* nolo enim casum excludere, nimis, scilicet, universim a dierum criticorum oppositoribus praedicatum; nimirum per noxiarum potentiarum vim, vel per inopportunam curandi methodum turbari aliquoties posse pathologicorum motuum ordinem, atque hinc eorum perfectionis tempus, mutari. Hunc casum ipse quoque Hippocretes animadvertit, sicut Wen-Swietenus asserit, ubi inquit: « neque obstat his, » quod quandoque in pessimis morbis sic turban» tur omnia, ut nihil fere ordinati in horum de» cursu detegere liceat; et victa vi morbi, natura » vel cito, vel etiam quandoque diutius conflicta» tur, succumbat; nam monitum fuit, et veterum

» testimoniis confirmatum, non in omnibus mor-
» bis crises contingere; sic in febribus ardentibus
» epidemice grassantibus, quas descripsit Hippo-
» crates, notat quod urinae multae, tenues, nihil
» judicatorii, nihil boni habebant, neque quidquam
» aliud decretorium sic affectis apparebat, neque
» sanguis e naribus probe effluebat, neque ab-
» scessus alius ex consuetis fiebat judicatorius,
» moriebaturque unusquisque, uti sors ferebat,
» errabunde, plerumque circa judicationes, dum
» enim in his morbis nullae crises fierant, ergo
» nec dies critici observari poterant. » .

Si igitur naturae phaenomena consideramus, eorum immutabilem, aequabilemque cursum cogimur admirari. Praetermitto inorganicam naturam, quae propter suorum motuum vicissitudinumque constantiam, admiratione nos afficit; nam ejus legum invariabilitas, humanum superantia intellectum portenta, praesefert, quum modus, quo corpora, quae ad istam pertinent naturam, existunt, ita toto coelo a modo, quo existunt organica corpora, differat; ut nihil certi deducere possemus. Consideremus potius organicae materiae operationes; observemus quomodo vegetabilia omnia viriditate, floribusque per certa anni tempora adornentur; stupeamus, quomodo ad praefinitum tempus suos suppeditent fructus. Quis mihi dicere poterit, curnam praecox amygdalus exeunte Februario, floreat, et tarda, me-

dio Junio, vitis, foliis pampinisque luxuriet? Cur cerasus aestate maturet, autumno pomum? Erunt ne causa creatrix, calor luxque redeuntes? Cur idem in omnibus vegetabilibus non accidit? Curnam, hyeme licet temperata, et humenti, flores, qui ortos autumno quamvis frigidiore, exornant, non aspiciuntur? Insuper scire cuperem, cur uno tempore una, altero, altera bestia concipit, faetumque per tempus certum, et determinatum gestat; et cur partus fere post illud tempus emittitur? Cur somnus et vigilia semper esse solent alterni, et fames, aequis plerumque intervallis, stomachum extimulat? Cur feminae saepe saepius certis in mense diebus menstrua patiantur, ac febris intermittentis accessus ad eamdem horam fere semper aegrotum aggreditur? Omnia in natura per periodos volvuntur, omnia regulam servant. Quae igitur causa stuporis, si in pathologicis phaenomenis eumdem conspicimus ordinem? Nonne haec analogica facta satis hunc ordinem comprobant? Quomodo igitur ridiculam, atque superstitiosam, dierum spernemus criticorum existentiam?

Morbi nascuntur, adolescunt, decrescunt, cessant aeque ac omnis ens, quem natura continet. Statim ac formantur, statim ac existunt, ipsi quoque totidem sunt entes. Non concipiuntur a mente, tamquam in abstracto morborum ideae, ut ad Ontologiam possent referri; sed morbi reve-

ra materiales sunt totidem entes. Atqui omnia naturalia suos habent periodos; cur igitur ordinem soli morbi abnuerent? Concludamus ergo, nihil absoni dierum criticorum doctrinam habere; immo pro illa stare, et practicorum experientiam virorum, qui veram medicinam sectantur; nec non analogiae argumenta, quam omnium phaenomenorum naturalium ordo, praemonstrat.

§. XX.

Absit tamen, ut immoderatam doctrinae de criticis diebus, ostentationem, admittamus, atque exagerstam, superstitiosamque illorum dierum in morbos actionem, quam aliqui medici attribuerunt, tueamur. Scimus plurimas esse causas, quae regularem morborum cursum praepedire, et bonum successum, funestumve accelerare vel retardare, atque hinc progressionis ordinem perturbare, possunt. Ne tamen autumemus, his diebus, adscribendum esse penitus de morbis judicium; autumemus potius morbos judicari posse, cum necessarium perfecerint cursum, cui ars, naturave auxilietur, atque hinc posse, die quocumque, finem morbos habere. Credere nihilominus possumus, quosdam morbos, et praecipue acutos, plerumque aliquibus diebus, quam aliis, et praesertim in disparibus, desinere. Ita saltem comprobat experientia.

§. XXI.

Haec, quae de crisibus, de metastasibus, de criticis diebus dicta sunt, non sunt, ut aliqui vellent, merae verborum vocandae disputationes; nam praestantes, innumeraeque parantur practico medico utilitates, quem istiusmodi doctrinae non lateant: e contra, quot damna aegroto afferent medici, qui crisibus fidem non praebent! Pulsus, qui in variis earum phasibus, morbo jam progresso, postquam cura non timidus medicus debilitare conabatur, semper concitati liberique micant vim salutares ostendentes, quam nunc haec, nunc illa corporis pars resumit, saepius ab adversariis, ceu pulsus novas exacerbationes, novumque morbi incrementum, minantes, judicantur, et dum sanguinis emissionibus, aliisque modis vim fraenare arbitrantur, illos e contrario debilitant, inanesque reddunt actionum vitalium conatus, quibus salus restitueretur. Quamvis, inquit Melius graecus, medicinae pater, hoc idem, sentiente Galeno, parvi faceret pulsum in crisibus; tamen certum est, ipsum in suis authenticis scriptis de violenta convulsiva pulsatione loqui, quae ad sanguifera vasa colli, aliarumque partium, quas recenset, plane se se ostendit. Ita factum veritati accedit, in vitalibus actionibus, quae crisim determinant, maxime commotam

spectari pulsuum vim, ut, negligentes quoque, deprehenderent. Quantum solertiae etiam a quoque peritissimo practico non requiritur, ne pulsushaemorrhogiam aliquam criticam praenunciantes, cum pulsibus a phlogosi adhuc vigente, exagitatis, commutet! Quamnam aliam causam, si pulsuum exacerbationem respuant, commentabuntur illi, qui crisium doctrinam admittere nolunt? Dubitandum igitur nullo modo est, aliquas crises a pulsibus duris praenunciari, qui facilius, ceu acutae phlogosis signa, accipi possent. Klockoffius nos certos facit, se imminentibus crisibus salutaribus, similes observasse pulsus, et Nikellius ex iisdem pulsibus, morbum regium vaticinatus est.

Nunc illi effervescentes Systematici, qui non vident, aut necessitatem non curant animadvertendi, quae in pluribus occurrit casibus, tum ut clare cernatur, tum ut rite aestimetur harum actionum vitalium natura et finis; quam perniciose sanguinis emissione, omnique deprimente remedio, utentur! Ast hoc non satis. Immodico remediorum vehementium usu, a morbi principio, vires vitales ineptae redduntur, ut propitias crises operentur; et experientia satis abunde hoc suasit, juxta Professoris Landré-Beauvais assertionem, nimirum quod « les crises sont » plus rares chez les sujets affaiblis par l'age, et » lorsque les malades ont été débilités par le

» traitement ». Et haec dicentur verborum disputationes?

Quidnam valebunt tot, tamque comprobatae, observationes a summis, gravissimisque nostris scriptoribus traditae, si in morbis, omnia ad artis potentiam, nihil ad naturae operationem redigeretur? Perbene Redius ajebat esse artem ministram, naturaeque interpretem; nunc e contrario, naturam vellent aliqui non solum esse ministram, artisque interpretem, sed etiam suis illusionibus, erroribusque assentantem.

Sydenhamus, ut bene Melius observat, quem ipse Rasorius in suis clinicis lectionibus, summum phlogisticorum morborum magistrum appellat; Sydenhamus feliciter medicam curam exercuit in continuarum febrium epidemia, quae Londini, annis 1667, et 1668 debacchata est, quia a pulsibus vaticinabatur, atque ideo ptialismum criticum, per quem feliciter febres illiusmodi desinebant, nequaquam impediebat. Hoffmannus in ardentibus febribus pulsum plenum, et concitatum, caloris ad cutem augmentum, peculiarem irritationem, quae in his febribus criticam haemorrhagiam, statimque salutarem indicat, animadvertendam esse praedicavit. Sed quomodo haec signa recentes Systematici respiciunt? Quomodo tensos, inaequales, vibratos pulsus considerant; quomodo exagitantem caloris sensum, tenesmum, ad hypocondria tensionem, quae saepe crises indi-

cant, conspectant? Omnia ipsis certe demonstrant morbi exacerbationem, et phlogosim; atque ideo, suis remediis, felicem eventum brevi eventurum, pervertunt. Erunt ne istae tantummodo verborum disputationes?

Nil dubitandum, ut ego arbitror, medici praesagium, qui doctrinam crisium, dierumque criticorum callet, et qui inde illas praevidet, tutius, utiliusque esse, quam alterius medici praesagium, qui hanc doctrinam spernit, vel ignorat, quamvis aliunde sapiens, peritusque sit. Deinde cum per observationes, perque summorum auctorum scripta cognoscat, quaenam solita excretio sit, per quam in peculiaribus morbis, morbosa materia a corpore expellatur; ipse, in medendi ratione, conamina sua diriget, ut hujusmodi excretio fiat, et ad organa, ubi excretio fit, morbosam materiam deducet. Erunt ne istae tantummodo verborum disputationes?

Hae, et innumerae aliae, quas brevitatis causa praetermitto, sunt utilitates, quas cognitio, et praeceptorum, quoad crises, applicatio, hippocraticorum, aegrotis, famaeque medicorum, parat.

§. XXII.

Concludamus igitur tandem; facta, et ea quae diximus, nos omnino certos facere de veritate crisium, atque de utilitate, quae ab hausta crisium doctrina, exundat; ab istis veram materialem morborum naturam oppido demonstrari, atque inde esse firmum adagium: quod, animalis organisatio dum vivit, in peculiari aggregatorum elementorum textura, quam *miscuglio* Reilus, *organica mistione* Bufalinius vocat, consistit; quorum modificatio peculiarem incomprehensam constituit conditionem, ex qua vitalitatis, vitae, incognitaeque efficaciae, quae ad animalem existentiam omnino prorsusque confert, arcana phoenomena confirmantur. Haec hypotesis gratis asserta, non est unquam dicenda, utpote quae prae aliis, facta melius explicat, atque ab istis ipsa quoque firmatur; ipsa necessaria nostro intellectui est, et nostrarum argumentationum fundamen; ipsa se ducem nobis praefert, atque auctricem, ut alias hypotheses non satis firmas, vel rationi adversantes excludamus; ipsa sola atque unica facit, ut nos discrimina quae obscuire possunt, vel ea quae sunt verosimilia, inter sanitatis statum, interque morbosum, nec non innumeras variationes, cognoscamus. Enimvero animadvertentes sanitatis statum ex certa aggregatione, vel intima elemen-

torum mixtione, quae vigentem animalem organizationem, constituunt, derivari; facile est, rationi consonum, veroquesimile nos comprehendere posse, quod omnis perturbatio elementa ipsa exagitans, quaecumque primitivae mixtionis modificatio, statum morbosum efficere penitus possit; et quod extentio, gradus, qualitas, duratio hujusce perturbationis, variationes intensitatesque ipsas morbosas verosimiliter producere debeat: et denique quod summus hujus perturbationis excessus omnino aggregationem, elementorumque mixtionem intimam dissipet; originarium typum organicum dissolvat; denique illam ipsam conditionem per quam subsistit, et vigens manet organizatio et vita, disperdat.

Haec hypothesis, quae naturae operationes non turbat, quae e contrario facit, ut in primigenia origine illas discernamus, quae eadem facta continua catena jungit et connectit, facem in omnibus investigationibus praeferre nobis potest. Ipsa et causas proximas, remotasque, morborumque indolem, quodcumque eorum phaenomenon mirabili modo demonstrat. Nil est aliis hypothesibus opus, nam haec ad splendidioris veritatis adspectum nos ducit, atque hinc efficit, ut plane et firme suadeamur, et in suasione acquiescamus. Ipsa methodus quoque est illa, quae pariter typum, omnisque morbi periodum clare describit: quae coctionem, cruditatem, cri-

sim docet; quae accidentia, vel necessaria discrimina, determinat; quae tandem ad hoc disponit, ut acerbam duramque necessitatem, alicujus systematis sequendi, Practicus Medicus, usque a principio, cognoscat.

86

THESES DEFENDENDAE

I.

Pathemata deprimentia contagiis praedisponunt ob antitheseos legem, quae viget systema sanguineum inter, et lymphaticum.

II.

Si potentia stimulans nuncuparetur ea, quae primitus in moleculas fibrae organicas quemlibet motum inducit; controstimulantia primitiva jure neganda.

III.

Mentis facultates facilius a recto tramite aberrant in iis qui ingenio praecellunt.

IV.

Variant morales hominum perceptiones ob varia ipsorum temperamenta.

V.

Hypochondriasis non semper vitium simplex imaginationis, sed plerumque organicam visceris alicujus alterationem comitatur.

VI.

Quo perfectior entis cujusdam organisatio, eo major in morbos proclivitas.

VII.

Processus inflammatorius semper unus, idemque, nimirum semper ab iisdem constans elementis.

VIII.

Expansio non est peculiaria vis alicui textui inhaerens, sed effectus calorici sive interni, et per vitae actionem producti; sive externi, et ambientia proprii, in quo corpora organica extant.

IX.

Spasmi, nevralgiae, paraeses sunt symptomata nervosa, quae plerumque morbi sedem tantum indicant, quin tamen concludendum, morbum mere nervosum esse.

X.

Opium non solum vi stimulante cardiaca, sed etiam sedante pollet; quapropter torpor, sensuumque obtusitas, quae hujus pharmaci usus

excipiunt, minime, ut effectus secundarii auctae incitationis, considerari debent.

XI.

Narcotica quandoque in inflammationis vehementia, reijcienda non sunt.

XII.

Motuum vitalium a norma aberratio, aut est primaria, et cibo evanescit; minime ergo uti morbus consideranda: si vero permanet, materialem organorum perturbationem pro causa agnoscit. / ſ

